LIMANA

Canonizationis Beati Francisci Solani Ordinis Minorum Sancti Francisci de Obseruantia.

SVMMARIVM INFORMATIONIS

Super Dubio validitatis Processus Remissorialis, & Compulsorialis: Ritualis examinis Testium: & Legitimæ Iurium compulsationis.

LIMANA

Canonizationis B. Francisci Solani Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia.

BEATISSIME PATER.

Num. I. *Commissio signata per SS. D. N. Innocentium XI. Proc. fol. 37. in fine.*

DISCVSSO in Congregatione Sacrorum Rituum ad relationem Reuerendissimi Cardinalis Chisij Processu auctoritate Apostolica peracto super Sanctitate, & excellentia vitæ, Virtutibus, & Miraculis in specie Venerab. Serui Dei Francisci Solani Ordinis Minorum Sancti Francisci, qui natus in Oppido Montilli in Prouincia Bœtica vulgò dicta Andaluzia anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono obijt die decima quarta Iulij millesimi sexcentesimi decimi, examinatis, & approbatis tam illius validitate, & legitimo examine Testium, quàm releuantia Virtutum, & Miraculorum, & successiuè decreto, quandocumque sanctæ memoriæ Clementi Decimo Sanctitatis vestræ Antecessori visum foret, posse dictum Seruum Dei Franciscum Solanum Beatum declarari, atque ad solemnem Canonizationem deueniri, idem Pontifex ad preces Caroli II. Hispaniarum Regis Catholici, necnon vniuersi eius Ordinis Sancti Francisci, litteris datis in forma Breuis die vigesima quinta Ianuarij millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, quarum tenorem placeat Sanctitati Vestræ hic habere pro sufficienter expresso, concessit, & indulsit, vt ipse Seruus Dei Franciscus Solanus in posterum Beatus vocaretur, & prima eius Beatificationis solemnia celebrarentur in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe die trigesima Iunij prædicti anni millesimi sexcentesimi septuagesimi quinti, eiusque corpus, & reliquiæ quiescentes in Ciuitate Limana, in qua obdormiuit in Domino, publicæ fidelium venerationi exponerentur, Imagines

quoque ipsius radijs, splendoribus exornaretur, atque de eo Officium sub ritu duplici maiori recitaretur, & Missa celebraretur de communi vnius Confessoris non Pontificis singulis quibuscunque annis prima die non impedita à fælici eius obitu iuxta Rubricas Breuiarij, & Missalis Romani in prædicto Oppido Montillo, vbi natus, in dicta Ciuitate Limana, vndè ad superos euolauit, ac in Prouincia Thecumana, vbi Gentilitij erroris fugata caligine lucem orthodoxæ veritatis diffusit, prædictus Beatus ab omnibus Christifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus horarum Canonicarum recitationi astrictis, ab vniuerso quoque Franciscanorum Ordine vtriusque sexus, & quoad Missas attinet, etiam à Sacerdotibus quibuscumque confluentibus. Insuper idem Pontifex instante, & supplicante Fratre Ioanne à Sancto Didaco de Villalon tunc Procuratore Causæ huiusmodi declarauit, & ampliauit extensionem huiusmodi Officij, & Missæ per totam Prouinciam Andaluziæ in Hispania similibus litteris datis decima octaua Decembris prædicti anni millesimi sexcentesimi septuagesimi quinti. Quoniam verò Fama Sanctitatis eiusdem Beati cum deuotione Populorum, cultu, & veneratione, necnon frequentia Miraculorum, quæ pariter post dictum Indultum Omnipotens Deus eius meritis, & intercessione concedere dignatus est, adeo aucta percrebuit, ac in dies percrebescit, vt plurimorum, & grauissimorum virorum æstimatione digna censeatur executione supradicti Decreti pro supremo illius honore, vt scilicet ad solemnem illius Canonizationem ab Apostolica Sede deueniatur iuxta Canonicas sanctiones, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Ritum, vndè moti pia intentione, & speciali ergà dictum Beatum deuotione ducti Rex Catholicus, Dux Albani, & Petrus ab Aragonia, & Commissarius Generalis Indiarum Ordinis Minorum Sancti Francisci, supplicibus Libellis Sanctitati vestræ nouissimè porrectis sub diebus diuersis, enixè supplicarunt, vt ad eam procedere dignaretur; verùm, quia nouissima Decreta Vrbani Papæ Octaui pro habenda certiori veritate Sanctitatis, & Miraculorum Serui Dei, pro cuius Canonizatione instatur, mandant non deberi in futurum ad illam procedi, nisi priùs facta Sanctitati Vestræ plena, & distincta relatione non modo eorum, quæ in Processibus, & quæ illi per Summos Pontifices intuitu ipsius venerationis elargita fuerunt, verùm etiam illorum, quæ constabit superuenisse post indultam Beatificationem ad hoc, vt Sanctitas vestra deliberare possit, & valeat, an sit procedendum ad Canonizationem; propterea cùm in eadem Congregatione Sacrorum Rituum die vigesima quarta Iulij præteriti per Reuerendissimum Cardinalem Chisium facta sit relatio status, & omniũ hactenùs gestorum in huiusmodi Causa pro parte deuoti Sanctitatis Vestræ Oratoris Fratris Caroli à Conceptione Interiani Moderni Procuratoris à Patre Commissario Generali Indiarum Ordinis Minorum Sancti Francisci specialiter constituti sub datum decima octaua Martij millesimo sexcentesimo octuagesimo secundo, eidem Sanctitati Vestræ supplicatur, quatenùs dignetur huiusmodi causam solemnis Canonizationis dicti Beati Francisci Solani in statu, & terminis, in quibus reperitur vna cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis quibuscumque eidem Congregationi Sacrorum Rituum committere, & mandare cum facultate ad hoc, vt constare possit de his, quæ superuenerunt post præcitatum Beatificationis Indultum, poteruntque etiam quomodolibet, & qualitercumque contingere, & ad omnem alium bonum finem, & effectum Causæ magis proficuum litteras Remissoriales, & Compulsoriales super præmissis

cita-

citato Reuerendo Patre Domino Fidei Promotore ad quascumque Mundi partes decernendi, & relaxandi, nec non etiam in Curia, iura, & monumenta accipiendi, & si opus fuerit, Testes per Reuerendissimum Cardinalem Sanctitatis Vestræ Vicarium in Vrbe, seu ipso impedito per Episcopos ab eo deputandos examinari faciendi præuia citatione, & cum interuentu dicti Promotoris, vel eius Subpromotoris iuxta interrogatoria ab eo danda, & super Articulis in actis exhibendis ad hoc, vt ex ipsis nouiter probandis, legitimè prius discussis iuxta formam supradictorum Decretorum post plenam, & distinctam relationem per eundem Reuerendissimum Cardinalem Chisium Ponentem Sanctitati Vestræ faciendam non modo eorum, quæ Cultus concessionem præcesserunt, & intuitu Venerationis dicto Beato Francisco Solano quomodolibet elargita fuerunt, verum etiam eorum, quæ in nouis informationibus, seu processibus, vt supra formandis, superuenisse, seu quomodolibet probata fuisse constabit, eadem Sanctitas Vestra intelligat, an Causa sit in eo statu, vt iuxta Canonicas sanctiones, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritum ad solemnem Beati Francisci Solani Canonizationem deueniri possit, & cum facultate citandi, & inhibendi, quos, quibus, & quoties, vbi, & quando opus fuerit etiam sub censuris, & alijs pœnis arbitrio &c. ac etiam per edictum, constito &c. cæteraque omnia, & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi vsque ad finalem complementum prædictæ causæ Canonizationis, seruata tamen in omnibus, & singulis forma dictorum Decretorum, non obstantibus constitutionibus etiam in vniuersalibus, & synodalibus Concilijs editis, & alijs ordinationibus Apostolicis, Regulis Cancellariæ, stylo Palatij, cæterisque contrarijs quibuscumque. Statum &c. tenores &c. pro plenè, & sufficienter expressis habendo &c.

Placet Benedictus.

Num.2.

Litteræ Remissoriales expedita die 8. Octobris 1683. Proc. fol. 35.

Nicolaus miseratione Diuina Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Ludouisius Sacri Collegij Decanus, Maior Pœnitentiarius, ac Sacrorum Rituum Congregationis Præfectus Reuerendissimo Domino Episcopo Cordubensi, & quatuor Dignitatibus Cathedralis Ecclesiæ Ciuitatis Cordubensis ab eodem Reuerendissimo Episcopo eligendis Iudicibus per eandem Sacram Congregationem, ac Eminentissimum, & Reuerendissimum Dominum Cardinalem Chisium vnum ex Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus eiusdem Sacræ Congregationis, Causæque infrascriptæ Relatorem, seù Ponentem, ac nos respectiuè ad infrascripta omnia, & singula peragenda in Ciuitate, & Diœcesi Cordubensi electis, & deputatis, cum clausula, quod idem Reuerendissimus Dominus Episcopus vna cum duabus saltem ex dictis Dignitatibus simul, & coniunctim in constructione Processus semper procedat, salutem in Domino, & in commissis obedientiam, ac nostris huiusmodi, imò veriùs Sanctæ Sedis Apostolicæ firmiter obedire mandatis. Nouerit amplitudo Tua Reuerendissime Domine Episcope Cordubensis, & vos Dignitates ab eadem Amplitudine eligendæ, Noueritis, quod concessa per sanctæ memoriæ Clementem Papam Decimum potestate, seù facultate celebrandi Solemnia Beatificationis Serui Dei Francisci Solani Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum Professoris, per suas Litteras Apostolicas in forma Breuis sub Anulo Piscatoris expeditas Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die vigesima quinta Ianuarij millesimi sexcentesimi septuagesimi quinti, & Solemnibus huius-

modi iam celebratis in executionem, & ad formam dictarum Litterarum Apostolicarum in Basilica Principis Apostolorum Vrbis die trigesima Iunij eiusdē anni, vt in Actis infrascripti dictę Sac. Congregationis Notarij Cancellarij, & Archiuistæ, fuit sub die vigesima quarta Iulij proximè præteriti in eadem Sacra Congregatione per dictum Eminentissimum, & Reuerendissimum Dominum Cardinalem Chisium Relatorem facta relatio de statu Causæ Canonizationis dicti Beati Francisci Solani pro obtinenda admissione, & signatura Commissionis ad effectum prosequendi ad Canonizationem eiusdem Beati Francisci, & fabricandi Processum de eis, quæ superuenerunt post indultam ei solemnem Beatificationem; & eadem Sacra Congregatio censuit posse admitti, & manu Sanctissimi signari dictam Commissionem, vt ex eius rescripto in actis antedicti illius Notarij, Cancellarij, & Archiuistæ producto, tenoris sequentis videlicet.

Limana

Canonizationis Beati Francisci Solani Ordinis Minorum Sancti Francisci.

In Congregatione Sacrorum Rituum per Eminentissimum, & Reuerendissimum Dominum Cardinalem Chisium Ponentem Causæ Limanæ Canonizationis Beati Francisci Solani Ordinis Minorum S. Francisci facta plena, & distincta relatione de statu Causæ prædicti Beati iuxta præscriptum nouissimorum Decretorum fælicis recordationis Vrbani Octaui *pag.* 54. *in fin.* pro obtinenda admissione, & Signatura Commissionis ad effectum prosequendi ad Canonizationem in huiusmodi causa, & fabricandi seruatis seruandis Processum de ijs, quæ superuenerunt post indultam eidem Beato solemnem Beatificationem, eadem Sacra Congregatio audita prædicta relatione, censuit posse admitti, & manu Sanctissimi signari supradictam Comissionem in casu, & ad effectum, de quo agitur, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, instante Fratre Carolo à Conceptione Interiano in huiusmodi Causa Procuratore specialiter constituto. Hac die vigesima quarta Iulij millesimi, sexcentesimi octuagesimi tertij, & facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitatis Sua benignè annuit, & signauit die decima septima Augusti millesimi sexcentesimi octuagesimi tertij.

Nicolaus Cardinalis Ludouisius.

Bernardinus Casalius Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius.

Loco ✝ Sigilli.

Et successiuè à Sanctissimo Domino Nostro Domino Innocentio Papa Vndecimo fuit dicta Commissio signata, dictæque Sacræ Congregationi præsentata, & in actis eiusdem sui Notarij, Cancellarij, & Archiuistæ sub die decima Septembris proximè præteriti producta, & exhibita huiusmodi sub forma, videlicet.

Sequitur tenor Commissionis, de qua supra num. 2.

Et post huius Commissionis præsentationem, & exhibitionem, eadem Sacra Congregatio ad preces Fratris Caroli à Conceptione huiusmodi
Fol. 41. Causæ Postulatoris in executionem, & ad formam supra insertæ Commissio-

missionis censuit esse concedendas litteras Remissoriales, & Compulsoriales ad effectum conficiendi in dicta Ciuitate, & Diœcesi Cordubensi Processum super ijs, quæ superuenerunt post Indultam Beatificationem dicto Beato Francisco, dirigendas Amplitudini Tuæ, ac vobis Dignitatibus ab eadem Amplitudine, vt supra eligendis cum dicta clausula, quod ipsa Amplitudo Tua cum duabus saltem ex vobis Dignitatibus in constructione dicti Processus simul, & coniunctim semper procedere debeat, non obstantibus Decretis eiusdem Sacræ Congregationis in contrarium disponentibus cum omnibus, & singulis facultatibus desuper necessarijs, & opportunis, ac termino vnius anni, prout ex Decreto, seu rescripto emanato die secunda currentis mensis cum subsequenti nutu Sanctissimi in actis pariter Notarij, Cancellarij, & Archiuistæ dictæ Sacræ Congregationis exhibito, huius tenoris videlicet.

Limana

Canonizationis Beati Francisci Solani Ordinis Minorum Sancti Francisci.

Signata iam à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa Vndecimo Commissione causæ Canonizationis dicti Beati Francisci Solani ad effectum prosequendi ad illius Canonizationem, nunc Sacra Rituum Congregatio referente Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Carpineo pro Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Chisio huiusmodi Causæ Relatore ad preces Fratris Caroli à Conceptione Procuratoris, audito etiam Reuerendissimo Fidei Promotore, censuit concedi posse litteras Remissoriales, & Compulsoriales ad effectum construendi Processum super ijs, quæ superuenerunt post indultam dicto Beato solemnem Beatificationem, dirigendas pro Ciuitate, & Diœcesi Cordubensi Reuerendissimo Domino Episcopo Cordubensi, & ob defectum alterius Episcopi attenta locorum distantia, quatuor Dignitatibus Cathedralis Ecclesiæ eiusdem Ciuitatis Cordubensis ab eodem Reuerendissimo Episcopo eligendis cum clausula, quod dictus Episcopus vna cum duabus saltem ex dictis Dignitatibus simul, & coniunctim semper interuenire debeat in conficiendo dicto Processu non obstantibus quibuscumque Decretis etiam nouissimis eiusdem Sacræ Congregationis, & alijs in contrarium disponentibus cum omnibus, & singulis facultatibus desuper necessarijs, & opportunis, ac termino vnius anni, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Die secunda Octobris millesimo sexcentesimo octuagesimo tertio, & facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua benignè annuit Die sexta Octobris millesimo sexcentesimo octuagesimo tertio.

Nicolaus Cardinalis Ludouisius.

Bernardinus Casalius Sacræ Rituum Congregationis Secretarius.

Loco † Sigilli.

Citato igitur nouissimè per vnum ex Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursoribus coram dicto Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Chisio Relatore Reuerendissimo Domino Prospero Bottinio At-

Archiepiscopo Myrensi, Sanctæ Fidei Promotore per Sanctam Sedem Apostolicam specialiter deputato, primo ad dicendum contra dictam Commissionem, ac præfata decreta respectiuè dictæ Sacræ Congregationis, & postea ad dicendum contra Positiones, & Articulos in eisdem actis pro parte dicti Fratris Caroli Procuratoris prædicti datos, quorum copia sibi transmissa fuit, videndumque illos ad probandum admitti in Curia, & extra, ac decerni, & relaxari litteras Remissoriales, & Compulsoriales Amplitudini, & Dominationibus Vestris pro conficienda in dicta Ciuitate,& Diœcesi Cordubensi dicto Processu de ijs, quæ superuenerunt post indultam dicto Beato Solano Beatificationem cum omnibus, & singulis facultatibus necessarijs, & opportunis ad annum duraturis,concordandũ de Amplitudine,& Dominationibus Vestris pro Iudicibus,necnon de loco, loco loci,& Portitore, dictoque termino in preinserto vltimo Decreto,seu rescripto præfixo,constituendumque aliquem, seu aliquos Fidei Subpromotores in partibus, qui commodè citari possint, & executioni dictarum litterarum intersint, dandum Interrogatoria in eisdem litteris includenda, aliàs videndum mandari fieri dictum Processum per affixionem ad valuas maioris, vel aliarum Ecclesiarum dictæ Ciuitatis, & locorum deputandorum, dictásque litteras expediri, claudi, & sigillari, ac Testes respectiuè inducendos examinari absque dictis Interrogatorijs, & quodcumque Decretum desuper necessarium, & opportunum fieri, & interponi ad infrascriptam diem: eaque adueniente, & in huiusmodi citationis termino in iudicio legitimè coram dicto Eminentissimo Domino Cardinali Chisio Relatore comparuit sudradictus Frater Carolus à Conceptione Procurator specialiter, vt supra constitutus, vt in actis, & facto produxit positiones, & articulos supradictos in calce præsentium registrandos, ac petijt, prout in superius dicta citatione continetur; dictusque Eminentissimus Dominus Cardinalis Relator dictæ Commissionis,ac præfati rescripti respectiuè formam insequendo, positiones,& Articulos huiusmodi ad probandum admisit,si, & in quantum de Iure admitti debent, ac sine præiudicio impertinentium, & non admittendorum, litterasque Remissoriales, & Compulsoriales prædictas cũ facultatibus necessarijs, & opportunis ad dictum annum duraturis Amplitudini, ac Dominationibus Vestris dirigendas ad formam vltimi dicti Decreti, seu rescripti decreuit, & relaxauit, Amplitudinemque, & Dominationes Vestras,vt præmittitur,deputatas in Iudices ad dictum effectum cum supra expressa tamen clausula, & pro loco dictam Ciuitatem Cordubæ, totamque Diœcesim Cordubensem, & quæcumque illius loca, & pro loco, seu locis locorum locum, & loca Amplitudini, & Dominationibus Vestris beneuisa, Portioremque pro earundem litterarum asportatione deputauit, dictumque terminum vnius anni pro illarum executione præscripsit, ac litteras prædictas cum Interrogatorijs dicti Reuerendissimi Domini Fidei Promotoris in illis introclusis expediri, & claudi, Testesque in partibus inducendos examinari mandauit, iniungendo tamen iuxta dispositionem nouissimorum Decretorum eiusdem Sacræ Congregationis, quod ante inchoationem huiusmodi Processus Amplitudo tua, Reuerendissime Domine Episcope, ac vos Dignitates prædictæ ab eadem Amplitudine, vt supra eligendæ in Iudices ad exequendas dictas litteras, vt supra per dictam Sacram Congregationem deputatæ, iuramentum in eodem Processu omninò adnotandum, & describendum præstent de seruando secretum religiosè sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda in casum contrauentionis forma sequenti in eisdem nouissimis Decretis præscripta, videli-

delicet: Ego (quoad Amplitudinem tuam) tacto pectore, quo verò ad vos Dignitates prædictas, tactis Sacrosancti Dei Euangelijs coram eadem Amplitudine tua positis, iuro, & promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem Processus in Causa Canonizationis Beati Francisci Solani iuxta formam Decretorum Sacrorum Rituum Congregationis, & præcipuè nouissimorum, quæ confirmata fuerunt à Sanctissimo Domino Nostro Domino Innocentio Vndecimo, nec non iuro, & promitto religiosè seruare secretum tam de contentis in Interrogatorijs, quàm de Testium depositionibus super ijsdem, & super articulis, nec de ijs loqui cum aliqua persona exceptis alijs Iudicibus, & Subpromotoribus, & Notario pro eodem Processu deputatis sub pœna periurij, & Excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi à Summo Pontifice (excluso etiam maiori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolui possim, & ita promitto, & iuro, sic me Deus adiuuet, adiugendo vos Dignitates prædictæ, & hæc Sãcta Dei Euangelia, provt nos quoque pro præmissis instanter requisiti considerantes æquum, & Christiana Religione dignum esse Dei gloriam, quæ in Seruis suis resplendet, manifestam fieri, volentesque ea, quæ à Sancta Sede Apostolica committuntur, quæque in prædicta Sacra Congregatione statuta sunt, debitæ exequutioni demandare, admisimus, mandauimus, deputauimus, decreuimus, & relaxauimus, ac admittimus, deputamus, decernimus, & relaxamus, easdemque litteras modò, & forma infradicendis expediri mandamus, Quapropter Amplitudinem, ac Dominationes vestras, de quarum fide, integritate, ac Religionis zelo, perpetuaque, & debita erga Sanctam Sedem Apostolicã obedientia plurimum in Domino eadem Sacra Congregatio confidit, & nos confidimus, requirimus, & monemus, ac Amplitudini, & Dominationibus Vestris etiam Apostolica, qua dicta Sacra Congregatio, & nos fungimur in hac parte, ac eiusdem Sacræ Congregationis ordinaria auctoritatibus committimus, & mandamus, vt eadem Amplitudo tua, & vos Dignitates prædictæ ab eadem Amplitudine tua eligendæ, vel saltem duæ ex eis simul, & coniunctim, & non aliàs aliter, nec aliò modo, vice eiusdem Sacræ Congregationis, & nostra in singulis actibus procedentes, & pro Tribunali sedentes intra dictum Terminum vnius anni in supra inserto Decreto præscriptum omnes, & singulos Testes, Scripturas, Litteras, Instrumenta, monumenta, & alia quæuis probationum genera, qui, & quæ coram Amplitudine, & Dominationibus vestris, quæ præsentes litteras exequentur in dicta Ciuitate, & Diœcesi Cordubensi induci, produci, & compulsari contigerit, à personis legitima mandata Procuræ habentibus recipiant, & admittant, & primò iuxta Interrogatoria per dictum Reuerendissimum Dominum Fidei Promotorem hìc in Curia data, & præsentibus nostris adiuncta, clausa, & sigillata non aperienda nisi coram Amplitudine, ac Dominationibus vestris Iudicibus in actu examinis, denuòque claudenda, & obsignanda sigillis eorundem Iudicum in fine cuiuslibet sexionis examinis dictorum Testium, prout simili modò claudi, & obsignari, ac respectiuè aperiri debent depositiones ipsorum Testium (exprimendo tamen singillatim in eodem processu actus aperitionis, & clausuræ huiusmodi, sicque clausa, & obsignata cum ijsdem depositionibus Testium retinenda vsque ad perfectionem, & absolutionem omnimodam huiusmodi Processus, & deindè super eisdem positionibus, & Articulis in Ecclesijs, Oratorijs, pijsque locis, & in loco respectiuè cuiuslibet ex eisdem locis, & quoad Infirmos, & alios legitimè impeditos in alijs quibuscum-

cumque locis per easdem Amplitudinem, & Dominationes vestras, à quibus præsentes exequutæ fuerint, vt supra deputandis, & semper exprimendis tam in citationibus contra eosdem Testes, & Dominum Fidei Subpromotorem, seu Subpromotores ab eodem Reuerendissimo Domino Promotore nominandum, seù nominandos exequendis, quàm in Iuramentis ab eisdem Testibus præstandis, ac examinibus ab eis faciendis, Testes ipsos omnes, & singulos diligenter examinent, recepto tamen in manibus vestris ab ipsis Testibus cuiuscumque gradus, status, conditionis, & sexus existant etiam Sacerdotibus (exceptis Episcopis) tactis Sacrosanctis Dei Euangelijs, & non aliàs aliter, nec alio modo, Iuramentum non solùm de veritate dicenda super ijs, super quibus examinabuntur, nec non etiam de seruando secretum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda in casum contrauentionis iuxta formulam sequentem traditam in eisdem nouissimis decretis, videlicet. Ego N. (exprimendo nomen, & cognomen) tactis Sacrosanctis Euangelijs coram me positis iuro dicere veritatem tam super Interrogatorijs, quàm super articulis, super quibus examinabor, nec non seruare Secretum, nec alicui pænitus reuelare tam contenta in eisdem Interrogatorijs, quàm responsiones, ac depositiones à me faciendas sub pœna periurij, & excommunicationis latæ sententiæ, à qua non nisi à Summo Pontifice (excluso etiam maiori Pœnitentiario) præter quam in mortis articulo absolui possim, & ita promitto, & iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia; eademque Testium Iuramenta, nec non depositiones, & dicta excipiant, & per fide dignum Notarium publicum, Apostolicum, seu Ecclesiasticum per easdem Amplitudinem, & Dominationes Vestras, à quibus præsentes exequentur, similiter deputandum, qui in eisdem manibus tactis Sacrosanctis Euangelijs de officium suum fideliter exercendo, ac de secretum seruando iuxta formulam super hoc vobis Iudicibus præscriptam, mutatis tamen mutandis, præstet pariter Iuramentum in Processu similiter describendum, & adnotandum, in scriptis redigi faciant, animaduertendo, quod Testes nequaquam se referant ad attestationes aliàs redditas, neque illis recitentur ea, quæ aliàs ipsi deposuerunt; sed quæcumque habent, explanatè, & per extensum deponant: cætera verò Processus acta, aliasque Scripturas, & Iura, vt præmittitur, exhibenda in solito loco audientiæ Amplitudinis, & Dominationum Vestrarum, seu aliàs per easdem Amplitudinem, & Dominationes Vestras, à quibus præsentes litteræ fuerint executæ, deputando eadem Amplitudo, & Dominationes Vestræ recipiant, nec non Processus quacumque auctoritate fabricatos, scripturasque, & Iura ad causam prædictam facientia ex quibuscumque originalibus, & locis, ac vbicumque sint, vel fuerint in eadem Ciuitate, & Diœcesi Cordubensi compulsent, & extrahant, ac per eundem Notarium recipi, compulsari, & extrahi faciant cum effectu. Si autem Testes prædicti sese examini subiicere, ac Notarii Actuarii, Archiuistæ, & aliæ quæcumque personæ Instrumenta, Scripturas, & Iura ad Causam huiusmodi facientia exhibere distulerint, seu recusauerint, Testes prædictos ad sese examini subijciendos, ac Notarios, & alios prædictos ad instrumenta, scripturas, & iura exhibendum sub censuris, & pœnis Canonicis, iurisque, & facti remedijs opportunis omni, & quacumque appellatione postposita cogant, & compellant, & vt prædicta omnia liberiùs executioni demandari possint, Nuncium, seù Nuncios pro citationibus faciendis, & alijs mandatis, & decretis exequendis,

rece-

recepto tamen priùs ab eis iuramento de fideliter officium ſuum exercendo ſimiliter deputent, & pro finali dicti Proceſſus complemento Tumbam, ſeu Sepulchrum, memorias, & reliquias, quæ in eadem Ciuitate, & Diœceſi Cordubenſi aderint eiuſdem Beati Franciſci Solani, viſitent, recognoſcant, atque deſcribant, ac recognoſci, & deſcribi faciant, nequaquam permittendo, quod quiuis alius cuiuſcumque fuerit ſtatus, conditionis, & dignitatis etiam Ducalis, Archiducalis, & Regiæ, ſeu alterius cuiuslibet ſiue Laicalis, ſiue Eccleſiaſticæ etiam ex deuotione audeat, ſeu præſumat aliquid in eiſdem tumba, ſeu ſepulchro, memorijs, & reliquijs ponere, vel ſubijcere, aut ex eis auferre, vel ſubtrahere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo auctoritate eiuſdem Sacræ Congregationis, de qua ſupra, incurrenda, ſed omninò curando, quod omnia, & ſingula, prout in viſitatione, & recognitione huiuſmodi fuerint inuenta, eiſdem in ſtatu, modo, & loco reponantur, & relinquantur, actuſque viſitationis, & recognitionis tumbæ, ſeu ſepulchri, memoriarum, & reliquiarum huiuſmodi ſecretò fiat, ac per eundem Notarium in ſcriptis redigatur, adhibitis tantùm ijs perſonis cum Subpromotore Fidei, quæ Amplitudini, & Dominationibus Veſtris videbuntur pro Teſtimonio ferendo de repertis neceſſariæ, vt concurſus Populi, & omnis occaſio vel offenſionis, vel periculi euitetur. Et huiuſmodi viſitatione, & recognitione, alijſque præmiſſis peractis, tam prædictorum Teſtium depoſitiones, & dicta, citationes, acta, & actitata quæcumque, iuraque omnia, & ſingula producta, & reſpectiuè compulſata, & extracta, quàm dictæ viſitationis, & recognitionis actum fideliter tranſcribi, & tranſumptari, & coram eiſdem Amplitudine, & Dominationibus Veſtris, à quibus præſentes litteræ fuerint executæ adhibito alio Notario, qui iuramentum præſtet de fideliter exercendo officium ſuum, vt de alio ad Cauſam deputando dictum eſt, tranſcriptionem, & tranſumptum huiuſmodi cum originalibus auſcultari, collationari, & concordari faciant, & proinde eamdem tranſcriptionem, & tranſumptum ab omnibus vobis Iudicibus preſentium litterarum Exequutoribus ſubſcriptum, in publicamque formam redactum, clauſumque, & ſigillis eorundem Iudicum præſentium executorum obſignatum; ſed ad facilitandam in Curia recognitionem eorundem ſigillorum, & ſubſcriptionum cum ſubſequutiua atteſtatione Notarij Actuarii prædicti facienda ſuper recognitione manuum, ſubſcriptionum, & ſigillorum earundem Dignitatum, à quibus cum Amplitudine tua fuerint præſentes exequutæ, deſcribendo in eadem atteſtatione formam, & qualitatem eorundem ſigillorum, & cum legalitate Amplitudinis tuæ tam ſuper comprobatione manus, ſubſcriptionis, ac ſigni prædicti Notarij, quàm ſuper identitate manuum, & ſigillorum earundem Dignitatum apponenda poſt atteſtationem dicti Notarij, Nuncio, ſeù Portitori, cum iuramento, & obligatione de fideliter aſportando, ab eiſdem præſentium litterarum exequutoribus deputando, conſignent, & ad eandem Sacram Congregationem, & nos tranſmitti, & aſportari mandent, & curent, ſignificantes eidem Sacræ Congregationi, & nobis, non ſolùm generaliter, quæ fides Teſtibus deſuper examinatis ſit adhibenda, ſed etiam particulariter ſuper ijs, quæ per eoſdem Teſtes depoſita fuerunt, & an in deponendo eadem Amplitudo, & Dominationes Veſtræ, quæ præſentes litteras exequutioni demandabunt, aliquid viderint, & animaduerterint, per quod eorum depoſitio ſuſpecta reddatur; Decernimus tamen, & volumus, quod in omnibus actis coram eiſdem Amplitudine, & Dominationibus Veſtris, à quibus præſentes exequentur, & aliàs circa præmiſſa facien-

dis citetur aliquis ex Subpromotoribus Fidei per dictum Reuerendissimum Dominum Promotorem nominandis in plico suarum litterarum vna cum præsentibus transmittendo, pariterque decernimus irritum, & inane quicquid contra formam præsentium nostrarum litterarum scienter, vel ignoranter fuerit exequutum, ac eidem Sanctissimo Domino Nostro Papæ, seu eidem Sacræ Congregationi reseruamus absolutionem omnium, & singulorum, qui supradictas pœnas, & censuras incurrerit. Pro præmissis autem, & singulis exequendis, talem diligentiam, curam, & fidem, Amplitudinem, & Dominationes Vestras adhibituras speramus, qualem gratiam ab eadem Sacra Congregatione, & retributionem laboris ab Altissimo pro Seruis suis eisdem Amplitudini, & Dominationibus Vestris valeant comparare. In quorum omnium, & singulorum fidem præsentes nostra, & infrascriptorum Reuerendissimorum Patrum Dominorum Protonotarij Apostolici ad acta præfatæ Sacræ Congregationis deputati, & Secretarij eiusdem Sacræ Congregationis manibus firmatas, nostroque etiam sigillo munitas per acta infrascripti eiusdem Sacræ Congregationis Notarij Cancellarij, & Archiuistæ expediri iussimus, & fecimus. Romæ ex Ædibus nostris anno à Natiuitate Sanctissimi Domini nostri Iesu Christi millesimo, sexcentesimo, octuagesimo tertio, Indictione sexta, die octaua Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in eodem Christo Patris, & Domini Nostri Domini Innocentij Diuina prouidentia Papæ Vndecimi anno octauo.

Nicolaus Cardinalis Ludouisius.

Loco ✠ sigilli.

Franciscus Iudice Prothonotarius.

Bernardinus Casalius Sacræ Rituum Congregationis Secret.

Iacobus Sassus Sacræ Rituum Congregationis Notarius Cancellarius, & Archiuista.

Num. 3.

Litteræ subrogationis D. Vicarij Generalis Corduben. Sede verò vacante D. Vicarij Capitularis expeditæ sub die 28. Iunij 1684. Proc. fol. 92. ter.

Nicolaus miseratione Diuina Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Ludouisius, Sacri Collegij Decanus, Maior Pœnitentiarius, ac Sacræ Rituum Congregationis Præfectus. Reuerendo Domino Vicario Generali Reuerendissimi Domini Episcopi Cordubensis Iudici per dictam Sacram Congregationem subrogato in locum dicti Reuerendissimi Episcopi Cordubensis infirmi, & vacante Sede Reuerendo Domino Vicario Capitulari eiusdem Ecclesiæ Cordubensis salutem in Domino. Nouerit Dominatio Tua, Reuerende Domine Vicari Generalis dicti Reuerendissimi Episcopi Cordubensis, & Sede vacante, Reuerende Domine Vicari Capitularis eiusdem Ecclesiæ Cordubensis, quod concessis die secunda Octobris præteriti per antedictam Sacram Congregationem cum subsequenti nutu Sanctissimi, & successiuè expeditis per Acta infrascripti illius Notarij, Cancellarij, & Archiuistæ litteris Remissorialibus directis pro dicta Ciuitate, & Diœcesi Cordubensi dicto Reuerendissimo Domino Episcopo, & quatuor Dignitatibus illius Ecclesiæ Cathedralis ab eodem Reuerendissimo Episcopo eligendis ob defectum aliorum Episcoporum, attenta locorum distantia pro conficiendo Processu in eadem Ciuitate, & Diœcesi super ijs, quæ superuenerunt post indultam Beatificationem Beato Francisco Solano Ordinis Minorum, cum clausula, quod dictus Reuerendissimus Episcopus, vna cum duabus saltem ex dictis Dignitatibus simul, & coniunctim procederet in constructione dicti Processus cum termino vnius anni, & huiusmodi Processu adhuc non inchoato, vel saltem non absoluto ob malam valetudinem dicti Reuerendissimi Domini

ni Episcopi Cordubensis, nuper eadem Sacra Congregatio in locum Reuerendissimi eiusdem Domini Episcopi Cordubensis infirmi ad effectum conficiendi dictum Processum, censuit posse subrogari Dominationem Tuam, Reuerende Domine Vicari Generalis dicti Reuerendissimi Episcopi cum quatuor Dignitatibus nominandis per eundem Reuerendissimum Episcopum, & eo impedito per Reuerendissimum Dominum Nuncium Apostolicum apud Maiestatem Regis Hispaniarum, & Sede vacante dictæ Ecclesiæ Cordubensis posse subrogari Dominationem Tuam, Reuerende Domine Vicari Capitularis eiusdem Ecclesiæ pariter cum quatuor Dignitatibus; cum clausula tamen, quod ipsi Domini Vicarij cum quatuor Dignitatibus, vt præfertur, simul, & coniunctim semper procedant in confectione dicti Processus in executionem dictarum litterarum Remissorialium, & Compulsorialium aliàs vt supra concessarum, & expeditarum cum omnibus, & singulis facultatibus in eisdem litteris concessis, alijsque desuper necessarijs, & opportunis, quibuscumque decretis, cæterisque dispositionibus Apostolicis in contrarium non obstantibus, vt ex rescripto emanato sub die decima septima currentis mensis, cum nutu Sanctissimi obtento die vigesima sexta eiusdem in actis infrascripti Notarij, Cancellarij, & Archiuistæ, citato Reuerendissimo Domino Prospero Bottinio Archiepiscopo Myrense Sanctæ Fidei Promotore coram Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Chisio Causæ Canonizationis dicti Beati Solani Relatore producto, & exhibito sequentis tenoris videlicet.

Limana

Canonizationis Beati Francisci Solani Ordinis Minorum Sancti Francisci.

Sacra Rituum Congregatio Ponente Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Chisio, censuit in locum Reuerendissimi Domini Episcopi Cordubensis infirmi posse subrogari eius Vicarium Generalem cum quatuor Dignitatibus nominandis per eundem Episcopum, & eo impedito per Nuntium Apostolicum Hispaniarum, & Sede illius Ecclesiæ Cordubensis vacante, posse subrogari Vicarium Capitularem eiusdem Ecclesiæ Cordubensis pariter cum quatuor Dignitatibus, cum clausula, quod prædicti Vicarij cum quatuor Dignitatibus, vt præfertur, simul, & coniunctim semper procedant in confectione Processus super ijs, quæ superuenerunt post indultam dicto Beato Francisco Solano Beatificationem, ad formam, & tenorem litterarum Remissorialium per eandem Sacram Congregationem sub die Octaua Octobris millesimi sexcentesimi octuagesimi tertij concessarum, & directarum pro Ciuitate, & Diœcesi Cordubensi præfato Reuerendissimo Episcopo Cordubensi, & quatuor Dignitatibus Cathedralis Ecclesiæ eiusdem Ciuitatis ab eodem Episcopo eligendis ob defectum aliorum Episcoporum, attenta locorum distantia, cum omnibus, & singulis facultatibus in dictis litteris attributis, alijsque desuper necessarijs, & opportunis, quibuscumque decretis, cæterisque dispositionibus Apostolicis in contrarium non obstantibus, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, hac die decima septima Iunij millesimo sexcẽtesimo octuagesimo quarto

N. Cardinalis Ludouisius. Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius Sacræ Rituum Congreg. Secret.

Citatoque etiam eodem Reuerendissimo Domino Promotore ad videndum in vim, & ex forma præinserti rescripti, Dominationem Tuam Domine Vicari Generalis Reuerendissimi Domini Episcopi Cordubensis in locum dicti Reuerendissimi Episcopi, & Sede vacante Dominationem Tuam, Domine Vicari Capitularis Ecclesiæ eiusdem Cordubensis, subrogari ad effectum conficiendi dictum Processum in dicta Ciuita-

uitate, & Diœcesi Cordubensi cum interuentu dictarum quatuor Dignitatum, vt supra respectiuè nominandarum, iuxtà tenorem supra inserti rescripti nuper emanati, cum omnibus, & singulis facultatibus in dictis prioribus litteris, ac in eodem præinserto rescripto nuper emanato, contentis, alijsque necessarijs, & opportunis ad diem infrascriptam, eaque adueniente comparuit Reuerendus Pater Frater Carolus à Conceptione Procurator dictæ Causæ constitutus, vt in eisdem actis, & debita cum instantia petijt vt in dicta citatione, dictusque Eminentissimus Dominus Cardinalis Chisius Relator antedictus Dominationes Vestras, vt præfertur, in Iudices, vna insimul cum dictis quatuor Dignitatibus, vt supra nominandis ad effectum conficiendi dictum Processum cum omnibus antedictis facultatibus, alijsque necessarijs, & opportunis subrogauit, prout nos quoque subrogauimus, & subrogamus, huiusmodique subrogationem Dominationibus Vestris, & alijs quibuscumque, ad quos spectat, & pertinet, insinuamus, & notificamus, & ad notitiam deducimus, deducique volumus, & mandamus per præsentes ad effectum exequendi dictas priores litteras, & procedendi ad confectionem dicti Processus, seruata in reliquis forma earundem litterarum Remissorialium, & Compulsorialium, ac supra inserti rescripti nuper emanati. In quorum testimonium præsentes manibus nostra, & Reuerendorum Patrum Dominorum Prothonotarij Apostolici, & Secretarij eiusdem Sacræ Congregationis firmatas, nostro etiam sigillo munitas per acta eiusdem infrascripti Notarij, Cancellarij, & Archiuistæ expediri fecimus. Romæ in ædibus nostris anno à Natiuitate Sanctissimi Domini Nostri Iesu Christi millesimi sexcentesimi octuagesimi quarti, Indictione septima, die verò vigesima octaua Iunij, Pontificatus autem Sanctissimi in eodem Christo Patris, & Domini Nostri Domini Innocentij Diuina prouidentia Papæ Vndecimi anno octauo.

Nicolaus Cardinalis Ludouisius. Loco ✝ sigilli.

Franciscus Iudice Prothonotarius Decanus.

Bernardinus Casalius Sacræ Rituum Congregationis Secretarius.

Iacobus Sassus Sacræ Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius, & Archiuista.

Limana Canonizationis Beati Francisci Solani.

Num. 4. *Concessio noui termini ad alterum annum, cuius litteræ fuerunt expeditæ die 6. Aprilis 1685. Proc. fol. 96. ter.*

Nicolaus Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Ludouisius Sacri Collegij Decanus, Maior Pœnitentiarius, ac Sacræ Rituum Congregationis Præfectus. Reuerendissimo Domino Episcopo Ciuitatis Cordubæ, quatuorque Dignitatibus Cathedralis Ecclesię eiusdem Ciuitatis ab ipso Reuerendissimo Domino Episcopo eligendis, eoque in mala valetudine constituto, eius Vicario Generali, & quatuor Dignitatibus prædictis nominandis ab eodem Episcopo, & ipso impedito per Nuncium Apostolicum Hispaniarum, & illius Ecclesiæ Cordubensis, Sede vacante Vicario Capitulari eiusdem Ecclesiæ Cordubensis, & quatuor Dignitatibus prædictis, Iudicibus à dicta Sacra Congregatione deputatis, & respectiuè subrogatis, salutem in Domino. Nouerit Amplitudo Tua Reuerendissime Domine Episcope, & Vos Dignitates antedictæ, & etiam Vos Vicari Generalis, & Vicari Capitularis antedicti in casibus prædictis respectiuè noueritis, quod reassumpta Causa Canonizationis Beati Francisci Solani Ordinis Minorum obseruantiæ Sancti Francisci ad effectum illam prosequendi, per specialem Commissionem manu Sanctissimi Domini Nostri Domini Innocentij Papæ Vndecimi signatam dictæ Sacræ Congregationi directam, eademque Congregatio die secunda Octobris millesimi sexcentesimi octuagesimi tertij cum subsequenti nutu Sanctissimi concessit litteras

Re-

Remissoriales, & Compulsoriales ad effectum construendi in Ciuitate prædicta, eiusque Diœcesi Processum super ijs, quæ superuenerunt post indultã dicto Beato solemnem Beatificationem directas Amplitudini Tuæ, & quatuor Dignitatibus dictæ Ecclesiæ Cathedralis ab eadem Amplitudine eligendis, cum clausula, quod ipsa Amplitudo cum duabus saltem ex dictis Dignitatibus simul, & coniunctim semper procederet in conficiendo dicto Processu cum opportunis facultatibus latiùs expressis in prædictis litteris Remissorialibus, & Compulsorialibus expeditis, vt de more, per acta infrascripti Notarij, Cancellarij, & Archiuistæ die octaua prædicti mensis Octobris, & anni millesimi sexcentesimi octuagesimi tertij, ac in termino vnius anni, & licèt sub die decima septima Iunij subsequentis anni millesimi sexcentesimi octuagesimi quarti, annuente pariter Sanctissimo die vigesima sexta eiusdem, attenta infirmitate dicti Reuerendissimi Episcopi in eius locum prædicta Sacra Congregatio subrogauerit Dominationem Tuam, Vicari Generalis antedicte, cum Vobis quatuor Dignitatibus prædictis nominandis ab eodem Reuerendissimo Episcopo, & eo impedito à Reuerendissimo Nuntio Apostolico in Regnis Hispaniarum, Sedeque dictæ Ecclesiæ Cordubensis vacante subrogauerit Dominationem Tuam, Vicari Capitularis eiusdem Ecclesiæ pariter cum quatuor Dignitatibus, cum clausula tàmen, quod per Vos Vicarios prædictos respectiuè semper procederetur in constructione dicti Processus cum dictis quatuor Dignitatibus, & cum eisdem facultatibus concessis in primo dictis litteris Remissorialibus, & Compulsorialibus, alijsque expressis in rescripto dictæ Sacræ Congregationis vltimo dicta die emanato, & Vobis iam transmisso in consimilibus litteris expeditis per acta eiusdem infrascripti Notarij, Cancellarij, & Archiuistæ die vigesima octaua dicti mensis Iunij millesimi sexcentesimi octuagesimi quarti, attamen ob varia impedimenta dicto termino durante ad præsentationem præfatarum litterarum Remissorialium, & Compulsorialium, aliarumque subrogationis prædictæ deuentum non fuit. Propterea præfata Sacra Congregatio ad nouas preces Fratris Caroli à Conceptione Interiano eiusdem prædicti Ordinis, ac Procuratoris huiusmodi Causæ vltimo loco concessit nouum terminum alterius anni, incipiendi à die præsentationis dictarum litterarum cum omnibus prædictis, & singulis alijs facultatibus desuper necessarijs, & opportunis, vt ex eius altero rescripto emanato die vigesima quarta Martij præteriti, cui prælibatus Sanctissimus Dominus Noster Papa benignè annuit die secunda currentis mensis in antedictis actis producto sub infrascripta die, citato Reuerendissimo Domino Prospero Bottinio Archiepisco Myrensi Sanctæ Fidei Promotore coram Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Chisio Causæ Canonizationis huiusmodi Relatore tenoris sequentis videlicet.

Limana

Canonizationis B. Francisci Solani Ordinis Minorum S. Francisci.

